



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis difficultas resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

quoque formam principaliter producit; v. g. qui producit principaliter calorem ut octo, inducit etiam principaliter formam ignis: Sed homo principaliter efficit actus contritionis & charitatis, qui sunt ultimæ dispositiones ad gratiam sanctificantem: Ergo est causa principalis illius.

21. Respondeo primò, agens quod ultimam dispositionem ad aliquam formam principaliter efficit, ipsam quoque formam principaliter efficere, si talis forma non habeat rationem naturæ in aliquo ordine, respectu ipsiusmet agentis quod disponit ad eam; sed si habeat rationem naturæ respectu illius quod se ad eam disponit; sicut se habet gratia sanctificans, est enim natura hominis ad ordinem supernaturalem elevati, ut ex suprà dictis patet.

22. Respondeo secundo, agens quod ultimam dispositionem ad aliquam formam principaliter producit, ipsam quoque formam producere, quando illa forma resultat ex tali dispositione, & de potentia naturali subiecti educitur; sic enim in naturalibus, quia forma ignis resultat ex positione ultimæ dispositionis, & de potentia naturali ligni educitur, agens attingens per alterationem ultimam dispositionem, attingit etiam secundariò ordine executione ipsam formam, & est causa principalis illius. Quando verò forma non resultat ex ultima dispositione, nec educitur de potentia naturali sed obedientiali subiecti, tunc agens quod ultimam dispositionem ad illam producit, non censetur principaliter ipsam quoque formam producere, quia potentia obedientialis soli Deo ita subijcitur, ut nullius creaturæ dominio subdi possit: cum ergo gratia sanctificans non resultet ex nostris actibus qui ad illam disponunt, nec educatur ex potentia naturali sed obedientiali animæ rationalis, ut dicemus articulo sequenti, licet homo principaliter efficit actus contritionis & charitatis, qui sunt ultimæ dispositiones ad gratiam sanctificantem, non tamen propterea est causa principalis illius.

23. Dices, Homo dicitur concurrere effectivè & principaliter ad generationem hominis, ex eo præcisè quòd materiam disponit ad recipiendam animam rationalem, licet illam non producat: Ergo similiter homo se disponens per contritionem ad receptionem gratiæ, poterit dici causa principalis illius, quamvis per tales actus illam non producat, nec de potentia naturali animæ rationalis educat.

24. Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quia homo generans, licet non producat animam rationalem, illam tamen physicè unit cum materia, mediantibus dispositionibus, quas in eam inducit; homo verò per actus contritionis non unit gratiam subiecto, hæc enim ex potentia obedientiali animæ à Deo educitur, & ipsà eductione ei per inhaerentiam unitur.

25. Obijcies quartò: Homo est causa efficiens principalis actuum supernaturalium charitatis, & visionis Dei, licet entitativè supernaturales existant, & sint participationes divinorum actuum, ut docuimus in Tractatu de visione beatifica: Ergo etiam potest esse causa principalis gratiæ sanctificantis, quamvis illa sit entitativè supernaturalis, & participatio formalis divinæ naturæ.

26. Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia licet actus charitatis, aut visionis Dei, sit operatio supernaturalis, præsupponit ta-

men in intellectu lumen gloriæ, & in voluntate habitum charitatis, qui est ejusdem speciei & perfectionis cum ipso; gratia verò sanctificans non potest supponere in suo subiecto aliquod principium supernaturale, sibi æquale in perfectione, à quo producatur, cum sit perfectissima forma ordinis supernaturalis.

Obijcies ultimò: Potest dari qualitas quæ sit participatio divinæ naturæ, aut voluntatis, ut patet in gratia sanctificante, & in habitu charitatis: Ergo pariter potest produci qualitas quæ sit participatio divinæ omnipotentis, sive virtutis operativæ Dei, ut est auctor supernaturalis: Sed talis qualitas esset causa principalis gratiæ habitualis: Ergo, de absoluta saltem Dei potentia, potest dari aliqua creatura ita perfecta, quòd sit causa principalis gratiæ sanctificantis.

Respondeo possibiles esse, imò de facto dari qualitates, quæ sunt participationes divinæ omnipotentis intra ordinem supernaturalem, etiam in genere causæ principalis: sed neque illas qualitates, neque alias, etiam ex omnibus possibilibus, esse participationes divinæ virtutis, quoad efficientiam gratiæ sanctificantis in genere causæ principalis; quia non potest adeò nobilis divinæ essentia participatio, qualis habetur per gratiam sanctificantem, ab alio quàm ab eadem divina essentia produci principaliter, ob rationes suprà assignatas: sicut etiam non potest dari aliqua creatura, quæ sit causa principalis creationis, imò nec instrumentalis, in sententia D. Thomæ, & Discipulorum ejus.

ARTICULVS II.

Utrum gratia creetur, aut concreetur, vel de potentia obedientiali animæ educatur?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

28. **S**uppono primò ex Philosophia, hoc inter creationem & eductionem reperiri discrimen, quòd creatio est productio entis ex nihilo, sive ex nullo præsupposito subiecto; eductio verò est productio formæ dependentis à subiecto, & transmutativa illius.

29. **S**uppono secundò, dupliciter aliquam formam educi de potentia subiecti; primò de potentia naturali ipsius; secundò de potentia obedientiali: inter quas potentias illud est discrimen, quòd licet utraque sit potentia passiva, tamen naturalis dicit ordinem ad agens naturale, obedientialis verò respicit agens supernaturale cui subijcitur.

30. **S**uppono tertio, hic nos loqui de connaturali productione gratiæ, id est de illa productione quam ex natura sua postulat: nullus enim dubitat, quin Deus de absoluta potentia possit eam creare, seu independenter à subiecto producere; quia licet illa essentialiter sit accidens, tamen sicut Deus de potentia extraordinaria potest efficere quòd accidentia independenter à subiecto existant (ut patet in speciebus Eucharisticis) ita, potest illa independenter à subiecto producere: hic tamen modus productionis non esset ipsis connaturalis, sed præternaturalis, & miraculosus. His præmissis.

31. **C**irca propositam difficultatem triplex versatur sententia. Prima docet gratiam sanctificantem immediate à Deo creari. Ita Alensis, Scotus, D. Bonaventura,

naventura, Durandus, Vega; & ex Thomistis Paludanus, & Capreolus. Secunda, quæ est Ferrariensis, Soti, & Choquetij, asserit gratiam habitalem non creari absolute, sed concreari ad creationem hominis grati, sive iusti. Tertia, quæ est communior in Schola D. Thomæ, affirmat illa de potentia obedientiali animæ educi. Pro qua

Dico: Gratia sanctificans neque propriè creatur, neque concreatur, sed de potentia obedientiali animæ educitur.

Prima pars huius conclusionis probatur primò ex D. Thomæ infra quæst. 113. art. 9. ubi querit, an sit majus opus Dei, creatio mundi, quam justificatio impij? Et sub distinctione respondet, dicens quod ex parte modi operandi est majus opus creatio, quam justificatio, cum illa sit ex nihilo, non ista; sed ex magnitudine rei quæ sit, majus opus est impij justificatio, quam celi & terræ creatio: Sed hæc differentia nulla esset, si gratia per creationem produceretur: Ergo juxta D. Thomam gratia sanctificans non creatur.

Confirmatur: Nulla creatura, in sententia D. Thomæ, potest etiam instrumentaliter creare, ut patet ex 1. p. quæst. 45. art. 5. Atqui ex eodem S. Doctore hic art. 1. ad 1. & 2. & 3. p. quæst. 62. art. 1. Humanitas Christi, & Sacramenta, instrumentaliter concurrunt ad gratiam producendam: Ergo illa non creatur.

Probatur secundò eadem pars ratione Cajetani. Gratia quando definit esse, non annihilatur: Ergo neque, quando producit, creatur. Antecedens est certum: tum quia ut docet D. Thomas 1. p. quæst. 104. art. 4. annihilatio non intervenit de facto in operibus gratiæ: tum etiam quia gratia destruitur præcisè ex vi separationis à subiecto; separatio autem à subiecto non est annihilatio, cum maneat subiectum. Consequentia verò probatur: Ex communi Philosophorum sententia, inceptio & desinitio rei alicujus sibi correspondent, ita ut quod incipit per generationem, desinat per corruptionem; & quod desinit per corruptionem, incipiat per generationem; & similiter quod incipit per creationem, desinat per annihilationem, & contra: Ergo si gratia non desinat per annihilationem, signum manifestum est, eam non produci per creationem.

Probatur tertio eadem pars ratione fundamentalis. Ideò intelligimus animam rationalem creari, quia per eandem actionem quæ producit in corpore, posset produci extra corpus separatim, & quia illi naturale est quod existat separata à corpore; cum non solum sit informans, sed etiam per se subsistens: At cum gratia sanctificans sit essentialiter accedens, subindeque non sit per se subsistens, sed tantum inexistens, neutrum illi convenit, id est nec potest produci extra animam, nec existere sine subiecto, saltem connaturaliter: Ergo illa non creatur.

Quod verò etiam non concreatur, facile potest ostendi. Sicut enim ad hoc ut aliquid congeneretur, requiritur ut fiat ad productionem alterius quod propriè generatur, ita ad hoc ut aliquid concreatur, necesse est quod producat ad productionem alterius quod propriè creatur: Sed quando gratia producit, nihil propriè creatur, ad cuius creationem dicatur gratia concreari: Ergo gratia non concreatur. Major constat, Minor probatur. Quando enim producit gratia, homo non propriè creatur, quantum ad suam substantiam, ut patet: neque quantum ad esse accidentale gratiæ, quod habet formaliter à gratia; tum

Tom. IV.

A quia incipit habere hoc esse per mutationem quandam; quæ de non grato fit gratus, & tamen creatio non est mutatio; tum etiam quia homo, quantum ad istud esse, non minus pendet in fieri à subiecto ut à causa materiali, quam ipsamet gratia.

Confirmatur: Ideò intellectus & voluntas sunt per concreationem, quia cum sint proprietates animæ rationalis, sunt per eandem actionem per quam ipsa producit: Atqui gratia sanctificans, cum non sit proprietas animæ, sed accedens ipsi indebitum, non sit per eandem actionem per quam anima producit, sed per diversam: Ergo non potest dici concreari à Deo ad creationem subiecti.

Hæc ratio probat non solum gratiam, quæ nobis in justificatione infunditur, sed etiam quæ Angelis & primis Parentibus in primo creationis instanti collata fuit, non fuisse concreatam: quia licet illi non fuerint prius producti & existentes, quam gratia infunderetur, sed gratia naturam ipsorum comitata sit, juxta illud Augustini, *Erat Deus in Angelis condens naturam, & largiens gratiam*; illa tamen, cum non fuerit propria passio, fluens ab ipsorum essentia, & à naturalibus ipsorum principiis, non fuit producta per eandem actionem, quæ ipsorum natura condita est, sed per diversam.

Ex his probata manet tertia pars: si enim gratia non creatur, vel concreatur, debet educi ex aliqua potentia. Nam cum creatio & educio contradictione opponantur (creari enim est fieri ex nihilo, sive ex non præsupposito subiecto; educi verò contra est non fieri ex nihilo, sed ex subiecto præsupposito) inter illas actiones non datur medium: Sed gratia non potest educi de potentia naturali aut violenta sui subiecti, scilicet animæ, cum non sit ei connaturalis, vel repugnans: Ergo de potentia obedientiali animæ educitur.

Confirmatur: Educitur est fieri dependentè à subiecto: Sed gratia in suo fieri connaturaliter dependet à subiecto: Ergo educitur. Minor probatur: Productio rei alicujus, si sit ei connaturalis, debet esse proportionata modo essendi illius: Sed gratia, cum sit accedens, in modo essendi connaturaliter dependet à subiecto: Ergo etiam connaturaliter ab illo dependet in fieri.

Confirmatur amplius: Ideò anima rationalis non pendet in esse & fieri à corpore, subindeque non sit per educationem, sed per creationem, quia sine miraculo conservatur separata à corpore: Atqui gratia non potest conservari extra animam, sine ingenti miraculo, simili illi quo in sacramento Eucharistiæ accidentia panis & vini sine subiecto conservantur: Ergo gratia connaturaliter dependet in esse & fieri à subiecto; & per consequens non per creationem, sed per educationem producit. Unde S. Thomas quæst. unica de virtutibus in communi art. 10. ad 13. agens de virtutibus infusis, docet eas educi de potentia obedientiali animæ: eadem autem est ratio de gratia habituali, ac de illis virtutibus, cum illæ sint ipsius gratiæ veluti proprietates, & simul cum ea animæ infundantur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam partem conclusionis obijciens primò, Scripturam multis in locis clarè docere quod gratia creetur i Psalmo enim 50. David

Q